



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 25. De lege quadam Persarum humanitatis plena.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

De lege quadam Persarum humanitatis plena.

CAPVT XXV.

MVLTA olim apud Persas leges fuisse traduntur: ex quibus facile intelligi potest, singularem quandam eius gentis sapientiam fuisse. Atque earum in vnam nuper cum inciderim, quae neque multis, nisi me fallit animus, cognita est, & dignissima quae cognoscatur ab omnibus: iudicari non ingratum fore iis qui haec legent, si eam hoc loco proponerem. Erat igitur apud eos ita constitutum, ut cum quis in iudicio argueretur aliquid fecisse contra leges, etiam si liquido constaret, eum culpa affinem esse, non tamen statim condemnaretur; sed prius inquireretur diligentissime in omnem illius vitam, inireturque ratio, plurane turpiter & flagitiose, an bene laudabiliterque gessisset. tum si vincebat turpium numerus, condemnabatur: sin praponderabantur honestis turpia, absoluebatur. Cogitabant enim, humanarum virtutum non esse, rectum cursum perpetuo tenere: habendos pro bonis viris eos, non qui nunquam peccarent; sed qui sapius honeste agerent. Hanc ipsam legem ego ab iis quoque, quorum in manus hi libri venient, observari summo opere cupio: ut ne statim eos reiiciant ac condemnent, si quid in eis a me peccatum deprehenderit. nam si, ratione fideliter inita, maior *ἢ τὸ σφαλμένον, ἢ τὸ κατὰ νόμον* numerus fuerit: tum equidem, quin reiiciantur, & sordeant, non recuso.

P M. AN-

Mureti  
ia Lectiones  
LIII  
25